

ne absunt:<sup>7</sup> *ad exercitationes, ad colloquia, ad philosophicas scientias.* Haec tria declarans ait:<sup>8</sup> *Methodum enim habentes facilius de omni proposito argumentari poterimus. Ad colloquia vero, quia enumerantes multorum opiniones non ex alienis, sed ex propriis dogmatibus colloquemur cum ipsis, discutientes quidquid non bene videbuntur dicere nobis. Ad philosophiae vero scientias, quia potentes ad utraque dubitare facilius in singulis, conspiciemus et verum et falsum.*

Hos sane duos ultimos usus omnibus libris suis Aristoteles inseruit: *Philosophiae, Sophiae, Physicae, Politicae, in omnibus namque enumerat, pro suo tamen libitu, aliorum opiniones easque μεταβιβάζει refert, atque in omnibus dubitat prius, deinde quae sibi videntur, affert. Priorem usum intellectus, cum initio libri ait:*<sup>9</sup> *Methodum invenire, ex qua poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex opinione conceptis et ipsi sermonem sustinentes nihil dicemus subcontrarium. Hanc methodum, qua disputaturi ex receptis iam opinionibus (illud enim ἐνδόξων ita intelligendum est, non ut plerique pro probabilibus) possint disserere ita, ut adversarium vel superent vel saltem non superentur neque contraria iam positis cogantur dicere, exercuerunt quadringentis iam ab hinc annis apud monachos atque adhuc inter eosdem nec non in scholis Italicis regnat. Sed nulla ad philosophicas scientias utilitate, quod tamen eos latet, putantque se eo maxime philosophos esse, quo minime philosophi sunt, quoniam ab eo more Aristoteles (seu Eudemus eius auditor) philosophicum morem tertio loco secreverit.*

<sup>7</sup> πρὸς γυμνασίαν [τὰς γυμνασίας], πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας. [ARIST. Top. 101a.27 – 28]

<sup>8</sup> μέθοδον γὰρ ἔχοντες ὁπὸν περὶ <παντὸς> τοῦ προτεθέντος ἐπιχειρεῖν δυνησόμεθα. πρὸς δὲ τὰς ἐντεύξεις, διότι τὰς τῶν πολλῶν κατηριθμημένοι δόξας [δόξαν] οὐκ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ' ἐκ τῶν οἰκείων δογμάτων ὅμιλοις μεταβιβάζοντες ὅ τι ἀν μὴ καλῶς φαίνωνται λέγειν ἡμῖν. πρὸς δὲ τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, ὅτι δυνάμενοι πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι ὁπὸν ἐν ἑκάστοις κατοψόμεθα τἀληθές τε καὶ τὸ ψεῦδος. [ARIST. Top. 101a.29 – 36]

<sup>9</sup> μέθοδον εὑρεῖν ἀφ' ἡς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι [συλλογίσασθαι] περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μηδὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον. [ARIST. Top. 100a.18 – 21]